

Psalmus 31

- 1 Beati quorum remissae sunt iniquitates:
et quorum tecta sunt peccata.
- 2 Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum,
nec est in spiritu ejus dolus.
- 3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea,
dum clamarem tota die.
- 4 Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua:
conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.
- 5 Delictum meum cognitum tibi feci:
et injustitiam meam non abscondi.
- 6 Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino:
et tu remisisti impietatem peccati mei.
- 7 Pro hac orabit ad te omnis sanctus,
in tempore opportuno.
- 8 Verumtamen in diluvio aquarum multarum,
ad eum non approximabunt.
- 9 Tu es refugium meum a tribulatione quae circumdedit me:
exsultatio mea, erue me a circumdantibus me.
- 10 Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris:
firmabo super te oculos meos.
- 11 Nolite fieri sicut equus et mulus,
quibus non est intellectus.
- 12 In camo et freno maxillas eorum constringe,
qui non approximant ad te.
- 13 Multa flagella peccatoris,
sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
- 14 Laetamini in Domino, et exsultate, justi:
et gloriamini, omnes recti corde.